Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift



[...] ne. dolori meo percussa satis faciam. Domus plena est virorum ac mulierum, quia synagoga est plena doctorum et infidelium subditorum. Sunt ibi omnes principes Phylisthinorum, quia in Christi passione conspirant omnes principes sacerdotum. De tecto et solario spectant circiter tria milia, quia vel in doctrina, vel in legis iusticia superstitiosa tripertita eorum agmina, sacerdotum scribarum et phariseorum [...] examina. Qui utriusque sexus esse referuntur, quia vel animositate virili, vel levitate muliebri [...] circumferuntur. Qui ludentem Samson expectant, quia vel ante passionem signa facientem, vel in passione celum et terram concutientem, Christum in dominum quasi David alterum ipsi quasi Michol superba [...] despiciendo sugillant. SEQUITUR.

At ille invocato domino ait: Domine deus memento mei, et redde mihi nunc pristinam fortitudinem deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam. Et apprehendens ambas columpnas quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera et alteram leva tenens ait: Moriatur anima mea cum Phylistiim. Concussisque fortiter columpnis, cecidit domus super omnes principes et ceteram multitudinem que ibi erat, multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat. Descendentes autem fratres eius et universa cognatio tulerunt corpus eius et sepelierunt inter Saraa et Esthaol in sepulchro patris sui Manue. Iudicavitque Israhel .xx. annis.

SAMSON dominum invocat, cum Christus pro totius mundi salute se passioni crucis et mortis dedicat. Ait, cum pro humano genere mortis debitum solvit: Domine deus memento mei, qui propter me primum hominem de limo terre formasti. Redde nunc mihi pristinam fortitudinem, reddens per mortem meam electis meis libertatem perditam. Ut ulciscar me de hostibus meis, cum ipse spes eterne redemptionis efficiar fidelibus meis. Et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam, cum pro extinctione duorum populorum iudeorum et gentium unam electorum meorum salvationem a te deo patre accipiam. Samson ambas columpnas apprehendit, cum Christus suas in cruce manus extendit. Quibus domus innititur, quia sancta ecclesia solatio crucis innititur. Alteram earum dextera, alteram leva tenet, cum tristiciam passionis sue et mortis, quam leva innuit, leticia sue resurrectionis commutat, quam dextera exprimit. Ait, cum voce magna clamans spiritum emittit: Moriatur anima mea cum Phylistiim, quia in ea cruce ubi ipse auctor vite moritur, auctor quoque mortis configitur. Columpne fortiter concutiuntur, cum per virtutem crucis in passione redemptoris celum et terra tremore conquatiuntur. Cadit domus super omnes principes et ceteram multitudinem que ibi erat, cum synagoga in Christi passione corruit, et tam principes quam reliquum populum eterne mortis casu obruit. Samson multo plures moriens interficit, quia Christus morte sua hostes malignos, iudeos, hereticos, paganos omnes sua morte prosternit. Quam ante vivus occiderat, quos evangelii sui predicatione mortis auctori subduxerat. Fratres eius descendunt, cum sancti prophete et